



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manvale Parochorvm, Sive Institviones & Praxes Tum  
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

II. Quibus rationibus agendum cum iis, qui recusant, aut nimium differunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

Refutatio argumentorum, quibus nonnulli  
vtuntur, ut Extremam Vnctionem diffe-  
rant, aut nonnulli etiam  
recusent.

AT nullum, inquiunt, exstat præ-  
ceptum, neque Christi, neque Ec-  
clesiae, quo ad extremam illam vnu-  
ctionem adstringar: alii admittant;  
nihil prohibeo: mihi verò homini  
iam omnia nauseanti non sapit oleum,  
imò etiam bilem mouet; quia certam-  
iam, & vicinam mortem denuntiat:  
itaque ille fatalis nuntius, illa fax fu-  
nesta, illae mortuariæ preces, omnis-  
illa sensuum vncio, adstantium gemi-  
tus, luctus, pallor, aut silentium, aut  
valedicentium voces conturbant: iam  
confessus sum, iam Eucharistiam sum-  
psi; debui: cætera ista, cæmoniæ  
sunt minùs necessariæ, neque iam op-  
portunæ; quid me vrgetis? Iam me  
habebunt omnes ipsius Medici, & Ec-  
clesiae

210 *Institutionum Pastoralium*  
elesiz opinione deploratum, atque  
post pauculas animę spirantis reliquias  
exspirantem. Itaque v lulabunt dome-  
stici; proles, & vxor complorabunt:  
& quasi me mortuo conuolabunt cre-  
ditores, arcuas occludent, & tantum  
non pernecabunt. Hæc illi, qui vt-  
cunque sibi sapere videntur. Sunt et-  
iam nonnulli ex rudioribus, qui recu-  
sent, quod sibi, cum conualuerint,  
posthac nefas fore ducant, nudo pede  
humum attingere, ornatis vestibus in-  
dui, choreas ducere. At tu leuia hæc  
argumenta sic dissolues. Quid agis,  
bone vir? nam ita loqui mihi videris,  
ac si contemneres: hoc autem piacu-  
lare est: non teneris suscipere; sed  
aspernari non debes. Non aspernor,  
inquis, sed tamen horreo desperata  
vitæ nuntium. At quid horres? peti-  
culum ipse sentis, neque mortem ad-  
feret istud, neque accelerabit, imò si  
expediet, restituet sanitatem; si non  
expedit, cur vitam amas? domestico-

rum



rum luctus minus tibi erit acerbus: si ad bene moriendum te omnibus Sacramentis munitum viderint. Confessus es, bene habet: communicasti, hoc melius: optimum erit, si praesenti hoc quoque praesidio te ad extrema compararis: rogo te, cogita, quot bonis animam defraudes, quot, inquam, diuinis auxiliis cum ad superandas morbi molestias, tum ad vincendos demonis assultus, qui tunc maximè hominem defectum impugnant, tum ad augendam Dei gratiam, & ad maiorem in caelo gloriam: certè negligitur nota non vacat, nec specie quadam spiritualis prodigalitatis, sponte abire tot salutis emolumenta, cùmque possis in tuo lucro reponere, tamen nolis. Id, quod Nicolaus de Nisa, Ordinis Minorum, in Gemmâ prædicantium scribit, ad hanc rem facit. Refert ille, quendam magni cæteroquin meriti interrogatum, an vellet vngi, renuisse: Nolite, inquiebat, obsecro:

quia

quia omnes, qui vnguntur, moriuntur: atque in his verbis obiisse. Cùm verò linteaminibus inuolueretur, aperuisse oculos, & hæc dixisse: quia Extremæ Vnctionis salutare Sacramentum abhorri, centum annis in purgatorio, iusto D E I iudicio, torquebor: si vñctus fuisse, de ægritudine conualuisse; sacra enim Vnctio non est acceleratio mortis, sed dilatio: atq; his dictis iterum expirâsse.

Quoad illa reliqua quarundam anicularū deliria, de nudo pede, de ornatis vestib⁹, de saltu, & si quæ eiusmodi fabulae obiiciātur, risu soluēda erūt; sunt enim perridicula. Verùm hæc tu non vti à me h̄c proponuntur, vno veluti spiritu propinabis egredienti isti animæ, sed per partes, vt res tulerit, & illita melle aliquo lenitatis, vt infirmis naufeantibus pocula instillari solent. Est verò, quod hâc occasione te moneam, ne ex eo, quòd nullum existet præceptum infirmis de suscipien-

de

do hoc Sacramento , putes , neq; te ad conferendum teneri , ideoque parùm tibi videatur , si negligas , aut cuncteris: nam Pastorale officium te obligat , vt petenti saltem , aut egenti eo remedio non desis. S. Malachias ( vt est apud Surium ) vesperi rogatus , distulit in sequentis diei manè : obiit interim mulier illa , quæ petierat: quantum fleuit , quantum oravit Malachias , vt mortuam fuscitaret ? Maior igitur cura huius rei tibi incumbit , quam putas.

N V M: III.

*Quibus neganda , & quando danda Extrema Unctio.*

IN primis non administrabis iis , qui nunquam usi sunt ratione ; neque iis , qui aliunde de vita periclitantur , quam ex morbo , veneno , vulnero , aut causâ simili intrinsecâ . Præterea negabis cuicunque peccatori , quem scies esse in statu , aut affectu peccati mortalisi . Si is tamen dolorem , aut

Sacra-